

litare praesumptionem, quae superuacaneam operam nostram reddat, quum satis constet, non vno hoc exemplo contra illum Imperatoris iussum TRIBONIANVM nostrum peccasse.

## §. VII.

Primum autem argumentum coniecturae nostrae, (quis enim in re adeo ambigua tantae audaciae est, qui se progredi ultra coniecturae fines posse gloriatur,) petamus a diuersis scholis quibus addicti erant Icti nostri. Neque vero hic longam placet disputationem instituere de duobus illis pacis decoribus, LABEONE & CAPITONE, notissimis diuersarum iuris scholarum auctoribus, *a)* quorum alter Proculeianorum & Pegasianorum princeps, alter Sabinianorum & Cassianorum fuit. Sed breuissimis tantum, quantum possumus, quae de re adeo dubia & incerta finiri a nobis possunt, indicabimus. Est enim, si quae alia, haec maxime anceps & difficilis quaestio, quam potissimum scholam quisque veterum Ictorum sequutus sit, inprimis ab iis inde temporibus, quo refrigerare & deferbere incepit sectarum studium. *b)* Vtrumque hunc, & PAVLLVM &

*a)* de quibus contra communem & receptam opinionem, sed eleganter, vt solet, disputauit CAR. FRID. HOMMEL V. Cl. in *diff. de principali causa disensionum inter Labeonem & Capitonem horumque auditores Lips. 1750.* cuius lectu dignam dedit recensionem BA-

CHIVS in *der unpartheyischen Critik Vol. 1. pag. 446.*

*b)* Quod effectum esse per editi perpetui compilationem, obseruauit GOTTFR. MASCOVIUS in *diatriba de sectis Sabinianorum & Proculeianorum cap. 7. §. I. pag. 109.*